2.

99

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

QUAEDAM

DE

PNEUMONIA

COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS SCOTT,

Scotus,

CHIRURGUS.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT DUN. STEVENSON ET SOCII.

MDCCCXVIII.

HONORATISSIMO

ALEXANDRO,

COMITI DE LEVEN ET MELVILLE,

VIRO,

CUM OB ANTIQUAM ET CELEBERRIMAM STIRPEM,

TUM OB PROPRIAS SIBIQUE CONGENITAS VIRTUTES,

MORUM ELEGANTIAM

INSIGNESQUE ALIAS ANIMI DOTES,

ADMODUM CONSPICUO :

HOC TENTAMEN,

QUALECUNQUE SIT,

SUMMA, UT DECET, VENERATIONE,

ET OBSERVANTIA VERA,

DEDICARE ATQUE SACRARE

VULT

AUCTOR.

ERRATA.

P. 2, l. 13, *lege* esse *pro* este.
— 4, — 7, *lege* quos *pro* quae.
— 10, — 5, *lege* recensentur *pro* recensenter.
— 12, — 9, *lege* tumet *pro* tum et.
— 14, — 8, *lege* luculenter *pro* luculentur.
— 16, — 12, *lege* auxilium *pro* auxilii.
— 16, — 15, *lege* falleret *pro* fallerit.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUAEDAM

DE

PNEUMONIA

COMPLECTENS.

PRAEFANDA.

QUICUNQUE pio animo conspicere cupit corporis fabricam variasque ejus functiones ad vitam et salutem necessarias, admiratione obstupescet sapientiae, quâ rerum parens suae proli consuluit.

Inter omnia vitae munera, magni momenti est respiratio, quippe quae ne sine magno incommodo, aut instanti morte breve tempus sisti queat. Hujus functionis organon sunt pulmones, qui, ullo corporis viscere, propter structuram spongio-

sam

sam inter inspirandum et expirandum, ad inflammationem magis proclives sunt. Huic inflammationi diversa ad mali sedem dederunt nomina auctores, qui, pleurâ costali affectâ, nomen Pleuritidis imposuere; et pulmonum substantiâ Pneumoniae. His vero plures nonnulli recensent species, quae vix memoriâ dignae sunt; quippe omnes ex iisdem causis incipiunt, et quam plurima signorum communia sunt, et tantum gradu differunt, et talem morborum partitionem ad usum medicum parum conferre repertum est. Praeterea corporis incisio sat superque docet, pulmonibus nullum inflammationis locum este certum; namque hos ubique involvit ab aliâ ad aliam partem serpens, cui opioni consentiunt Boerhaavii verba: "Nulla est pars integumentorum interni thoracis quam non aggreditur; tota ergo pleura, totumque mediastinum, hinc anterior, posterior, dextra, sinistra, superior, inferior, exterior, profundior pars aeque obsidetur hoc malo; sed imprimis latera."

Quapropter ex dignoscendi difficultate propriam mali sedem aliqui Pneumoniam adhibent omnigenam Pulmonum inflammationem denotare, an pleurae aut eorum substantiae sit.

De

De Pneumoniâ nunc tractare in animo est, et quia mihi variis in regionibus cum exercitu medicinam facienti saepississime occurrebat, et quia nisi arte inhiberetur fere semper erat lethalis. Quamobrem pauci morbi quam hic magis attentione digni sunt; sed, nullâ captus spe vanâ aliquid novi proferendi, paucis in verbis absolvam.

DEFINITIO.

Haec, quam celeberrimus Cullenus edidit, praestantissima, sed curta est, et verba sequentia habet, "Pyrexia, dolor in quadam thoracis parte, respiratio difficilis, tussis." Quamvis in hâc praecipua recensentur morbi signa, tamen in historiâ sequenti paulo fusius ac pleniùs mihi placet disserere.

HISTORIA MORBI.

Morbus, de quo agimus, in frigidis quam in calidis regionibus frequentiùs adoritur; et, quam

in

in alio anni tempore, magis hyeme aut ineunte vere. Quinetiam ab his vicibus subitis, quas annus varius subit, ejus impetus pendere videtur. Signa quae *febrem* praegrediuntur variè se manifestant. Nonnunquam ab initio frigoris sensus cum lassitudine incipit, et haud paulo post urgent horrores ac rigores; quae calor ac sitis aliaque febris indicia excipiunt. Febris jam inducta admodum variat, saepe ab initio gravis, interdum lenis paucos dies perstans et cum morbo crescit; et tandem vehemens fit cum dolore, qui tussiendo aut plenius inspirando acutissime pungit. Facies rubore suffusa ac tumida, et livida cum dolore obtuso saepe apparet. Fortiter micat cor, pulsus validus, plenus et frequens, rarissime mollis evadit. Nonnunquam a principio tussis sicca et difficilis, postea humida ac cruenta morbum comitatur; et per omnem morbi decursum sputum multum variat; interdum tenue ac spumans, interdum cum sanguine mistum; praesertim finem versus aeger copiosè excreat cum dolore multum imminuto. Difficultas spirandi, et non nisi corpore erecto exercenda, multum augetur in latus affectum decumbendo; sed interdum aeger, nequidem in dextrum vel in sinistrum latus, nec vero nisi supinus,

supinus, jacere queat. Dolorem in unâ thoracis parte fixum aegrotans sentit, nonnunquam variis in partibus, nunc in latere, nunc circa costas spurias, saepe sub sterno, interdum ad claviculam usque tendentem. Quando fixus manet, plerumque pungit, sed ad alias partes subito migrans, fere semper obtusus, et adeo lenis dolor est ut nihil nisi oppletio aut anfractus in pectore sentiatur. Sed morbo ingravescente, febris magis urget, alvus astricta; urina parca ac rubra; cutis arida; et fauces arescunt cum siti inexplebili. Tunc vultus ferox, oculi suffusi, anima foetida cum delirio superveniunt. Sed morbo gradatim recedente, vel in quarto vel quinto die, vel paulo seriùs, remissio manifesta apparet, ex quo aeger salutem adesse credit; sed haud raro morbus majori vi redit cum signis quae majore discrimine vitam minitantur. Respiratio enim magis difficilis evadit, et pulmones adeo cum muco viscido infarciuntur ut nihil excreari possit. Nunc facies livida omnia debilitatis signa patefacit; frigida fiunt extrema, supra frontem erumpunt sudores frigidi; oculi hebescunt, et omnia in pejus ruunt.

DE FINIBUS MORBI.

Huic morbo tres sunt fines, qui phlegmasiarum ordinem fere comitantur, nempe resolutio, suppuratio, et gangrena; sed effusio quoque, sibimet propria, quae haud raro eventum lethalem infert. De singulis pauca in ordine.

Resolutio, quae omni in morbo semper exoptanda est, in hoc plerumque, aptis remediis tempestive adhibitis, citiùs aut serius, ante diem septimum accedere incipit. Hanc eventuram esse monstrant doloris remissio, tussis facilior, et respiratio magis libera. Ad has notas interdum accedunt perspiratio copiosa, fluxus urinae auctus, et epistaxis cum diarrhoea biliosa. Sed si aeger liberè ac copiosè materiam mucosam albidam vel subflavam aut sanguine tinctam expectorat, morbi finem adesse certiores facti sumus.

Suppuratio adstat, praesertim si ultra decimum diem maxime saeviat inflammatio, neque ejus vires sanguinis detractione subactae sint. Hunc eventum graviora indicant signa, quae cum doloris remissione haud infrequenter dyspnoeam adauctam cum tussi inferunt.

Dum

Dum haec perstant, expectoratio supprimitur, sensus ponderis in pectore percipitur, et sudoribus gelidis pectus et caput madescunt; et horrores ac rigores per totum corpus serpunt. Febre hecticâ urgente, aeger in latus affectum, quam in alterum facilius decumbere potest, et minimo cum dolore jacet. His quotidie in pejus versis in pulmonibus latet vomica, quae rupta in cellulas aërias saepissime effunditur, et aegrum suffocat, vel in thoracis cavitatem aperiens, empyema format, quod vel hydrothoracem vel Phthisin, pariter lethales morbos, sit inducturum. Nonnunquam vero accidit, pus expuendo, sed maximo vitae discrimine, ad salutem redierit.

Gangrena in Pneumonia rarissime si unquam supervenit; sed ubi ad hunc finem tendit, dolores subito remittunt, facies pallescit, anima malè olet, frigidi circa faciem erumpunt sudores, cor inequaliter micat, et singultus urget, morbo finem impositurus.

Effusio, praesertim si morbi duratione vires aegri admodum fractae sunt, maxime timenda est: et haud raro lethalem infert suffocationem.

Hoc

Hoc accidit, ubi serum aut sanguis, ex vasis nimis tensis et ruptis, in cellulosam pulmonum telam infunditur, quo fit ut aeger, cellulis aëriis compressis, sanguinis circuitu impedito, vix aut ne vix quidem spirare possit, et animam efflet. Hunc eventum infaustum insigniunt expectoratio subito cohibita, facies turgida aut livida, cum respiratione difficili.

CAUSAE.

Quodcunque corporis robur augeat huic morbo praedisponit. Quamobrem qui laute vivunt, fibris rigidis ac firmis instructi, Pneumoniâ observantur facile implicari; quive media quam provectiore aetate facilius corripiuntur. Viri prae foeminis ad hoc malum magis obnoxii sunt, quod nulli aetati, sexui, aut rerum conditioni parcit: "pulsat pauperum tabernas regumque turres." Inter homines temperamento sanguineo praeditos, frequentius occurrere observavit Sydenhamus, qui his verbis utitur: "temperamento sanguineo praeditos, prae reliquis, aggreditur, saepe etiam rusticos

et

et duro jam fractos membra labore." Hinc constat, cui Diathesis phlogistica adsit, quocunque in modo inducta, procliviorem esse. Sed anni tempestas quoque praedisponit, et hyeme ac vere frequentius occurrit morbus quam in alio tempore; et quo frigidius caelum est atque mutabile eo ferè semper procliviores sunt homines. Quinetiam haud parum juvat prava pectoris formatio, qua aër quem trahimus et emittimus nunquam non impeditur, et congestiones in pulmonibus sequuntur, quae ibi inflammationi viam sternunt. Praeterĕa morbi praegredientes magnopere valent Pneumoniam inducere, qui pulmones debiles reddunt aut relaxant; et quicunque viri illâ prius laboraverint, eo facilius in eandem incidunt.

Causae, quae morbum excitant, de quo agimus, variae sunt. Frigus corpori applicatum, vel perspirationem sistendo, vel introrsum pellendo, frequentissime Pneumoniam excitat, praecipue si, corpore calefacto subito adhibitum est, cum humiditate conjunctum.

Inter alia, sunt vapores acres, veluti sulphuris, arsenici aut acidorum quae admodum pulmones

 stimulant.

stimulant. Denique nimia pulmonum exercitatio in loquendo aut canendo, aut quod pejus est longa inflatio musicorum instrumentorum, quorum usu multi Pneumoniâ moriuntur. Ad haec jam dicta recensenter vis externa, costae fractae, catarrhus, rubeola et variola, et alii morbi qui vel Pneumoniam inducunt, vel socios sese illi adsciscunt.

DIAGNOSIS.

Inter morbos cum quibus confundi potest Pneumonia, sunt Catarrhus, Peripneumonia Notha, Carditis, Pleurodynia, et Hepatitis.

Quam plurima Catarrhi signa sunt Pneumoniae communia, et facile transit alius ad alium morbum ex eisdem causis oriens. Si inflammatio circa nares tantum gravedinem aut epiphoram infert diagnosis facilis est; sin autem ad pulmones tendit usque, ex quâ tussis ac pectoris dolores urgent, ille vix distingui potest, sed haud magni

magni momenti est; remedia enim, quae alteri vitio prosunt, alteri quoque opitulantur.

Peripneumonia notha tantum in gradu, non in re, a pneumonia differt.

Illa maximè illos aggreditur, quorum vires intemperantiâ aut senectute fractae sunt. Qui hoc morbo impliciti sunt, faciem lividam habent cum dyspnoea magna, et potius sensum molestiae quam doloris in pectore; et omnia signa mitiora. In Pneumonia verò pyrexia et alia signa magis torquent, et qui aetati florenti gaudent cum pleno corporis habitu, magis obnoxii sunt.

CARDITIS.

Multa huic cum Pneumonia adsunt similia: videlicet, Pyrexia, Dyspnoea, Dolor, &c. Attamen doloris sede, pulsu intermittenti, anxietate maxima, syncope ac singultu, falli vix queat medicus expertus.

Pleurodynia quae ad Rheumatismum pertinet, satis ejus naturam ostendit. Musculi enim inter costas inflammatione implicantur cum febri leni,

neque

neque aeger tussit, aut spiritum graviter trahit, sed pars affecta digito premente solum dolet et interdum rubescit, et hic dolor haud infrequenter cum articulis alternat, motu multum auctus.

Hepatitis nihil habet quo difficilis sit diagnosis. Dolor enim in hypochondrio dextro, premendo ingravescit, ad claviculam et summum humeri dextri saepe tendit; qui in Pneumonia elatior vix pressura afficitur. Tum et quoque hypochondrium dextrum, et aeger in latus sinistrum male cubat; vomitus ac singultus cum tussi sicca magis urgent cum ceteris signis; dum in morbo quem prosequimur facies rubra cum sanguine turgescit, cum majore spirandi difficultate.

PROGNOSIS.

Haud parvum periculi est, si remedia ab initio apta non administrantur; sed si tempestivè, spem meliorem habemus. Quo rectius alicujus morbi eventum praesagiamus, morbi rationem, viresque signorum, aegri aetatem oportet rite perpendere.

pendere. Haec omnia quidem, praedicere multum juvant. Si febris acute perstat, neque remediis cedit; sed aegrotus cum maximo dolore spiritum trahit, ut nullo in modo decumbere possit; si cor crebriùs ac languidiùs micat, et sputum subito supprimitur, et in gutture strepit; si facies turgescit aut labia livescunt; si pulsus intermittit, et sudor parcus et frigidus circa caput et cervicem erumpit, dum frigescunt membra, maximo in vitae discrimine homo est. Sin autem signa jam dicta leniora evadant, neque urgeat febris, et dolore obtuso, respiratione aeger perfungatur, et facile tussiat, et materia excreata spissescat, flavique coloris ac copiosa sit, praeterea si eveniunt sanguinis fluxus e naribus, et sudor universus per cutim libere fluens, et alvus soluta cum urina copiosa sedimentum lateritium deponente, felicem eventum promittere liceat. Denique in summâ senectute, dum debilitas corporis propria auxilia adhiberi vix sinit, multum boni haud expectandum est.

RATIO

RATIO MEDENDI.

Inter antiquos, ubi rebus medicis physiologia et chemia obscuram lucem tantùm dederunt, ratio hujus morbi, ac remediorum pariter absurda erat. Hinc maxime laudantur medicamenta, quae, ipsa inutilia, nullam ferrent opem. De his autem mihi in animo est, nihil dicere, sed potiùs ad illa transire quae eximii professores hujus Academiae luculentur docuerunt, et quae fere semper reperiuntur ad morbi curationem satis apta.

Omnium, quibuscum certiores facti sumus hoc malum debellare, potentissima et plerumque efficacissima est sanguinis detractio, praesertim si tempestivè et vi satis magnâ adhibeatur, et jure solum recenseri debet remedium, sine quo aeger vix convalescat. Omnia enim alia quae postea praescribenda sunt, utcunque in se utilia in suo loco, tantum auxiliantur, et sine sanguine emisso, nullum fructum afferunt. Dum nobis persuasum est ut in hoc morbo sanguinem mittere admodum necesse

necesse sit, tres questiones de hac re sponte sua se offerunt.

1mo, Quo tempore morbi sanguis emitti debet?

2do, Quoties haec operatio repetatur?

3tio, Quantum sanguinis detrahi necessarium est?

De prima questione omnes consentiunt medici, tam antiqui quam hodierni, quo citius post morbi impetum sanguis emitti possit, eo melius esse. Inter perlegendum eorum scripta, qui multo ante vixerant, de hac praxi, cum aliquot dies perstitisset morbus, multo diversas invenimus opiniones, ideoque constitutos esse dies, post quos sanguinis missio non modo nihil profuit, sed quoque multum injuriae intulit.

Celsus, Galenus, et multi alii post quartum diem hoc auxilio nunquam usi sunt, dum alii ejus usum post quintum, et paulo seriùs monent.

Ut

Ut morbus in quibusdam exemplis quam in aliis, majore velocitate progreditur, ita patet, ut nullum tempus definiri possit, a quo sanguinis depletio non adhiberetur, donec cuncta resolutionis spes solitis finibus praecluderetur, et donec hoc eveniat, morbi duratio prognosin quam praxin magis dirigere debeat. Sed, cùm multos perdurasset dies, timendum est, ne in suppurationem desinat; tamen, si tussi sicca afficiatur aeger, nec non dolore in thorace, aliisque signis incipientis Pneumoniae, copiosa sanguinis depletio solum auxiliu infer et, quo aeger in sanitatem redeat; et, ut credo, spes morbi solvendi omnia praeponderabit mala, quae ex debilitate inductâ deplendo oriantur, etiamsi expectationem fallerit: Prognosis enim post suppurationem semper admodum infausta est.

2do, Nunc quaeritur quoties sanguinis missio repeti debet? In prima quaestione exponendâ, dixi, sanguinem mitti debere, neglectâ morbi duratione, donec superveniant suppurationis signa; ita, opinor, idem auxilium iterum iterumque esse adhibendum, posthabitâ sanguinis quantitate pri-

us

us detracta, dum incipientia perstant in pectore inflammationis signa.

Quoniam Pneumonia tam ex ejus gravitate, quam peculiari aegri constitutione, in quibusdam casibus quàm in aliis, difficiliùs abit, ne tempora quidem ulla designari queant, quibus sanguinis missionem repetere haud necessarium sit. Quidam in medicinam faciendo, aspectu tunicae coriaceae magis moventur, sanguine detracto, quàm signis quibus aegri afficiuntur. CULLENUS verò inquit, "That as several circumstances in blood-letting may prevent the separation of gluten from taking place in blood otherwise disposed to it; so, from the absence of such appearance, we cannot always conclude against the presence of inflammation."

Ex verbis jam dictis, constat, qui huic speciei in sanguine maximè confidant praxin dirigere, eos plurimis in exemplis miserè falli. Ideoque huic rei malè credere inductus sum; quia mihi observatum est vix apparere, ubi maxima est inflammatio; sed porrò in quibusdam casibus plurimùm abundare, ubi solitis remediis morbus facilè

 abîit;

abîit; dum, in aliis, cum signis admodum urgentibus, sanguis nihil ostendit crustae simile.

3tio, Nunc quaeritur, quantum sanguinis pro morbi curatione mitti necessarium sit?

Ut fere semper, in quoque casu, secundum aegri aetatem, corporis habitum ac constitutionem, nec non urgentia signa, variabit, ita praedicere vix potest. SYDENHAMUS uncias quadraginta recensuit, quod, me judice, valde modicum esse videtur. CULLENUS his verbis utitur, "It is seldom that one bleeding, however large, will prove a cure of this disease."

Utcunque haec verba sint vera, eo magis tamen adducor ut credam, in plurimis exemplis quae mihi occurrebant, unam a principio evacuationem copiosam, non modo necessitatem iterandi tollere, sed saepiùs quoque morbo finem imponere. Ex his unum infra subjeci* memoriâ dignum, quod non

* Militari Hispaniae expeditione pene effectâ, anno 1813, ubi Galli, quamvis summa vi obnitebantur, terga vertere et Pyrenaeos montes transire coacti sunt, plurimi ex nostris militibus

non modo felicem bene demonstrat hujus eventum, sed etiam plane docet, quàm bene aegri, quamvis debiles, talem depletionem ferant. Quàm primum fieri potest, mihi persuasum est, in hoc morbo sanguinem mittere a viginti et quinque ad uncias triginta et quinque, ex qua evacuatione fere semper signa mitescunt. Sin haec autem ingravescant, eandem oportet repetere; sed rarius erit.

Multi militibus ob frigidam anni tempestatem, defatigationem, multasque privationes in Pneumoniam incidebant. Ex his morbo correptus fuit miles gregarius, qui cum signis vix gravibus, venâ ictâ sanguinis amisit sedecem uncias quod pro tempore tantùm profuit. Ingravescebant enim signa, quae pari modo levabantur; neque ad sanitatem aeger redîit donec quintam subîisset sanguinis missionem, quâ debilis factus, diu in statu convalescente manebat. Vix paucos dies ad solita officia perfungenda evasit potens, ubi gravioribus signis idem morbus recurrebat, ad quem solvendum, ob debilitatem ex prioribus evacuationibus nihil fieri posse existimabatur, nisi unam copiosam depletionem experiri. Ideoque uno tempore sanguis e brachio detractus est ad uncias quadraginta et octo, quo et, factum est haud multò pòst, aegrum bene convaluisse.

Hic sanguinis fluxus fuit maximus, quem, uno tempore, unquàm conspexi e corpore missum, et quem vix in plerisque casibus, mihi videtur esse necessarium.

Multis persuasum est, syncope inductâ inter sanguinis fluxum, ut copiosè deplere vix opus sit; itaque corpore erecto, venam ferire monent, ut hunc effectum quam citius potuit, satis inducant.

Cum sanguinis jactura debilem cordis actionem reddit, mihi videtur, syncopem, si gradatim illata est, eandem debilitatem augendo, haud parum prodesse; sed, si praematurè supervenit, nunquam optandam esse, et pro certo nocere evacuationem propriam impediendo. Quidam enim, quamvis robusti, sanguine fluente ad paucas uncias, animo linquuntur.

Quando ad hunc statum proclivior est aeger, corpore supino, vena secetur, ut sanguinis fluat satis; deinde ad deliquium animi promovendum, et caput et humeros e lecto levare oportet, quod fere nunquam talem eventum non inducit.

EPISPASTICA.

Haec remedia ad sanguinis missionem locum jure habent proximum, et opem haud parvam ferunt.

Plus

Plus boni reperiuntur afferre, ubi adest dolor pungens, et parum diffusus. In his enim casibus inprimis afficitur pleura costalis.

Nonnulli, qui talium medicamentorum stimulum magis timent, vix utilia esse putant, donec satis depletum sit corpus. Attamen mihi videtur, quo citius post primam sanguinis detractionem, eo melius; et quia, unâ haud cedit inflammatio, secundâ opus esset, priusquam epispastica aliquem inducant effectum: Hoc quidem in modo, Gregorius inquit praelegendo, "nullum tempus periisset."

PURGANTIA.

Per totum morbi cursum mitia purgantia ac enemata ad alvum solvendam utilia sunt; sed acriora, praecipue morbo provectiore, ubi criticae se ostendunt evacuationes, caute vitanda sunt.

DIAPHORETICA.

Hanc remediorum classem praesertim ab initio morbi summa cum curâ cavendum est; quippe quae corpori stimulum afferunt; sed corpore depleto, aut diaphoresi sponte ingrediente, cum

fructu

fructu haud levi adhibentur, et diluentibus promoveri debent. Inhalatio quoque aquae calidae vaporum haud minimum confert, sed ad plenum effectum consequendum frequentius adhiberi debet.

DIGITALIS.

Ex mira vi quam haec planta habet cordis actionem minuendi, laudibus haud levibus effertur, ubi, signis urgentibus adhuc indicatur sanguinis missio, sed cujus usum, ex depletionibus prioribus, aegri vires haud sinunt.

Plurimae occasiones se obtulerunt experimenta faciendi de ejus dotibus, sed nunquam ex ejus usu multum boni reperi. Quotidie docemur hanc in curandis pulmonum morbis pluris justo factam esse, dotesque ejus magis incertas esse quàm plerumque adhuc creditur. Ex maxima vi, qua pollet, absorbentia stimulandi, jure indicatur, cùm morbus, de quo agitur, in effusionem desîisset; et medicus quidam haud parvi nominis cum maximo fructu adhibuit in guttis decem, quaque hora, ut afficiantur renes, pulsus aut alvus.

Quùm

Quùm Britannicus exercitus ex Burgo in Lusitaniam se recepisset anno 1812, mihi felix fuit opportunitas periculi faciendi de ejusdem dotibus. Plurimi enim milites cum effusionis signis ex Pneumonia afficiebantur, quibus nullum priùs datum erat remedium.

Digitalem igitur in modo supra dicto adhibui, neque felix unquam fui in aliquo casu morbum sistere.

Satis constat ut hoc, ex incuria vel timore oriri non possit, de re administranda, quia dosis nullo in tempore data est sine inquisito pulsûs statu, et in uno casu adhuc me poenitet, hoc remedio ita utendi.

Nullum medicamentum adhuc repertum est, quod fortiùs ac certiùs in absorbentia agit, quam hydrargyrus, cujus usum, in effusionibus, digitali praetuli. Sed res est notissima, in corpus febre affectum difficiliùs agere; ideoque majore in quantitate adhiberi debere.

Aliqui,

Aliqui, in thoracis superficiem, unguenti hydrargyri uncias duas, bis terve in die fricant ad salivam in ore usque ciendam; et alii in majore copia.

FINIS.